

IN MEMORIAM INCLVTISSIMAM DOCTORIS PATRIS CAELESTIS EICHENSEER

Maxim~cum tristiti~maximoque cum maerore nobis nuntiandum est die 4^o mensis Februarii anno 2008^o D.rem P.rem Caelestem Eichenseer vit~functum esse octoginta tres annos natum. Vir singularis atque extraordinarius, qui ab multis hominibus maxime aestimatus atque dilectus erat, nobis omnibus ereptus est.



*Photograph 'ma mense Augusto
a. 2007^o receptum.*

Quamvis iam saepius de eius vit~rettule-
rimus, tamen hac occasione dat~necessa-
rio quaedam exhibenda sunt, ut recordatio
bene colatur.

Natus est Caelestis Eichenseer Kalendis
Iuliis anno 1924^o in Algó@o vico Schöl-
lang et baptizatus est praenominibus, quae
sunt Iosephus Antonius. Ibidem anno
1930^o scholam elementariam ingressus est,
inde ab anno 1937^o scholam pro-gymna-
sialelem Ottiliensem frequentavit, ab anno
1940^o humanisticum gymnasium Dilinga-
num, ab anno 1941^o humanisticum gym-
nasium Campodunense. Ab anno 1942^o
militiam suscipere coactus est atque copiis
radiotelegraphistarum adscriptus est. Per
triennium militavit, quod spatium tempo-
ris magnam partem in Graecia transegit.

Bello transacto mense Iunio a. 1946ⁱ
in gymnasio humanistico Ottiliensi
examen maturitatis superavit. Dein-
de die 24^o m. Aug. a. 1946^o monas-
terium Benedictinum Ottiliense in-
gressus est, ubi die 29^o m. Martii a.
1952^o in ecclesi~archiabbatiali Ottili-
ensi sacerdotio auctus est.

Inde ab anno 1949^o in studiorum
universitate Monacensi in discipli-
nam theologiam incubuit. His stu-
diis sedulo peractis Caelestis



*Iosephus Antonius Eichenseer
anno 1943^o Athenis receptus.*

Eichenseer Kalendis Iuliis anni 1955ⁱ, die natali suo tricesimo primo, in e~dem studiorum universitate in doctores promotus est ampl~profund~que dissertatione dogmatic~ conscript~, quae est «*De Apostolico Symbolo Augustiniano*».¹

Tamen Caelestis Eichenseer praeter fidem Dei atque religionem inde ex pueriti~ alium amorem magnum habuit, nempe linguam Latinam. Iam in gymnasio hanc linguam eiusque institutionem adamavit. Iam illo tempore - uti saepius narrare solebat - etiam ipse usus sermonis Latini ei erat attractivus. Qu~de caus~ magistros suos iterum iterumque interrogabat, ut ei nonnullas locutiones cottidianas dicerent. Videtur autem plerumque nullum responsum vel responsum non ita conveniens accepisse. Nihilominus hanc cogitationem de vivo usã Latinitatis ei inhaerebat. Itaque, cum linguam Latinam maximopere diligeret, iuxta studia theologica insimul in philologiam Latinam incubuit. Qualis autem condicio optima Caelesti Eichenseer erat, quod illo tempore in studiorum universitate Monacensi Prof. Dr Iohannes [Hans] Rubenbauer, Latinista notissimus, docuit et quod Caelesti Eichenseer eundem audire et cum eo colloqui licuit. Nam praeter alia apud Prof.rem Iohannem Rubenbauer per quinque annos praelectiones atque exercitationes stilisticas frequentavit. Tamen non solum eius praelectionibus plurimum addidit, sed etiam colloquiis privatim cum eo habitis. Nam Rubenbauer - aliter ac priores magistri scholares - ad omnes quaestiones libenter respondit, versimiliter gavisus, quod studentem tam fervidum habuit. Itaque Caelestis Eichenseer posterioribus annis saepe confessus est se Prof.ri Rubenbauer multum debere. Praeterea spatium temporis Monacense Caelesti Eichenseer etiam sub alio aspectã erat frugiferum. Nam - ut omnes sciunt - in hac urbe Bavaric~ institutum lexicographicum, quod appellatur «Thesaurus linguae Latinae», locum suum habet, ubi Latinitas totius antiquitatis scientifice tractatur. Ex hã thesauro (sensã vero verbi) Caelestis Eichenseer haurire potuit, cum ibi sem ab anno 1952^o usque ad annum 1975^{um}, id est per viginti tres annos, saepissime operatus sit. Talibus vero occasionibus non solum fasciculos «Thesauri» iam confectos perscrutatus est, sed ei etiam licuit ingentem copiam schedularum collectarum inspicere atque perquirere eisque uti. Hunc in modum inquirere potuit non solum in singulos locos litteraturae Latinae antiquae - et paganicae et Christianae -, sed etiam in quaestiones quasdam speciales, quae spectant ad locutiones cottidianas, ad stilisticam

¹ «Das Symbolum Apostolicum bei Augustinus». St. Ottilien 1960 [Kirchengeschichtliche Quellen und Studien. Bd. 4].

atque ad pronuntiatum vere Latinum, incumbere valuit. Ex illo tempore Caelestis Eichenseer non desiit laudare ipsum «Thesaurum», quod lexicon omnibus in operibus suis semper diligenter adhibuit, sed etiam cooperatores huius operis lexicographici, quibuscum et tempore Monacensi optima colloquia scientifica habuit, quippe qui fuissent ad quaestiones difficiliores solvendas semper accessibiles, et quibuscum etiam in posterum bene coniunctus mansit.

Inde ex anno 1959^o Caelestis Eichenseer in archiabbati~Ottiliensi muneribus pastoralibus functus est. Praeterea inter annos 1963^{um} et 1966^{um} S^{em} «antiquam historiam ecclesiae» in archiabbatiae athenaeo philosophico docuit. Tamen horis vespertinis atque nocturnis in linguam Latinam incumbere perrexit, investigationes suscepit symbolasque Latinas conscripsit. Illas multas lucubrationes Latinas, quibus agebatur de variis thematis, in variis periodicis Latinis, quae illo tempore erant,² divulgavit. Hunc in modum S^{em} in orbe Latino et in orbe philologorum magis magisque iam innotuit.

Itaque factum est, ut anno 1964^o un~cum D.re Iohanne Werner Monacensi consilium caperet, quo periodicum Latinum conderent. His commentariis ex integro Latinis titulus, qui est «*VOX LATINA*», impositus est. Huius periodici fasciculus primus mense Iulio anni 1965ⁱ in lucem editus est. In initio quidem plures homines dixerunt talem rem esse nullius momenti atque tale periodicum mox iterum interitum esse. Revera primi fasciculi erant tenues simplicesque et nondum nimis multi subnotatores huius periodici erant. Sed decurs^u annorum h⁴c inceptum magis magisque crevit, innotuit atque stabilitum est. H⁴c imprimis e~ de caus~ factum est, quia Caelestis Eichenseer amore suo Latinitatis, scienti~su~ampl~, laboribus suis plurimis hos fasciculos sustentavit atque effecit, ut iidem magis magisque agnoscerentur atque optimam famam obtinerent. Ab initio enim S^{em} huius periodici erat scriptor principalis, moderator atque redactor. Duobus autem decenniis primis, ex quibus «*VOX LATINA*» exstitit, ipse quasi solus omnes labores exanclavit, antequam annis octogesimis saeculi vicesimi paulatim auxilium ei allatum est. Ipse vero plurimum gavisus est, quod periodicum, quod est «*VOX LATINA*» et quod maxime ei cordi erat, decurs^u annorum non solum quoad numerum editionis maiorari, sed etiam quoad amplitudinem atque aspectum fasciculorum mutari atque meliorari potuit. Sic eius fervore Latino atque operibus multiplicibus factum est, ut «*VOX LATINA*» interea iam per quadra-

² Velut «*Latinitas*» Vaticana (quae adhuc floret) vel «*Palaestra Latina*» in Hispani~edit | et «*Vita Latina*» in Francogalli~edit | (quae utraque iam pridem disparuit).

ginta duos annos divulgaretur. De fasciculo autem centesimo septuagesimo feliciter edito adhuc gaudere valuit. Tamen etiam in futurum fasciculi nostri Latini, qui nobis quaque propter rem ipsam et propter Caelestem Eichenseer maxime cordi sunt, iisdem principiis ac antea divulgari perguntur.

Operibus autem Latinis suis multiplicibus, quae erant maximè qualitate, Caelestis Eichenseer optimam famam scientificam sibi acquisivit. Itaque die 12º m. Aprilis a. 1973º in *Romanam Academiam Latinam Internationalem* cooptatus est, cuius sodalis inde ex illo anno erat et in quæ Academiæ etiam multos amicos habuit. Multos vero conventus ab illa Academiæ institutos Caelestis Eichenseer non solum participaverat, sed etiam relationibus suis atque multis colloquiis disputationibusque habitis ditaverat. Ultimus vero huiusmodi conventus, cui intererat, erat conventus Matriti in Hispaniæ anno 2002º habitus.



Caelestis Eichenseer in Academiae Conventu Matritensi.

*In recessu: Antonius Capellan, Prof. Dr Tuomo Pekkanen Academiae praeses,
Prof. Dr Miguel Blanch Nogues.*

[Photograph facta die 7º m. Sept. a. 2002º factum.]

Inde ex anno 1973º Caelestis Eichenseer etiam seminaria Latinitatis vivae instituere atque exhibere coepit. Erat autem **S**em primus omnium, qui seminaria huiusmodi instituerat. Primum seminarium locum habuit Diessae [Dießen] iuxta Lacum Ambronis [Ammersee] in Bavariæ situm. Talia enim seminaria ei videbantur esse necessaria atque utilia, quia verus usus linguae Latinae ei semper erat cordi, ad quem usum etiam loquela ipsa pertinet. Inde ex illo tempore Caelestis Eichenseer quotannis minimum duo Latinitatis

vivae seminaria «ordinaria», ut ita dicam, regulariter instituerat, quae tempore aestivo variis in regionibus oppidisque Germaniae Europaeque locum habebant. Sic decursu annorum sem octoginta quattuor huiusmodi seminaria «ordinaria» habuit. Ultimum autem ex his seminariis, cui Caelestis Eichenseer intererat, erat seminarium in abbacia Maretiolensi mense Augusto a.



Caelestis Eichenseer un~cum Alfredo Graumans inter seminarium Maretiolense.

2007ⁱ habitum. Tamen insuper Caelestis Eichenseer, cum de hac re saepius interrogatus atque rogatus esset, etiam seminaria «extraordinaria» atque speciales institutiones Latinitatis vivae multis in locis praebuit. Hunc in modum decursu annorum factum est, ut Caelestis Eichenseer non solum scienti~su~, sed etiam indole su~ plurimos participes attraheret atque eos Latinitatem vivam doceret. Seminaria autem eius sensu proprio huius verbi sic appellari possunt, cum semina Latinitatis vivae posuerit atque etiam talibus institutionibus amorem suum linguae Latinae atque suam perceptionem rei dissipaverit, ita ut impetu atque incepta ad Latinitatem vivam spectantia multiplicarentur.

Anno autem 1975^o Prof. Dr Christianus Helfer, qui illo tempore cathedram cultuum civilium Europae inter se comparandorum obtinuit, Caelestem Eichenseer in studiorum universitatem Saravicam accessit. Ibis labores, qui ei erant maximi momenti, continuare atque exanclare valuit. Non solum munere moderatoris «VOCIS LATINAE» functus est, quod periodicum inde ex anno 1976^o Saraviponti editur, sed etiam maxime cooperatus est in

investigationibus atque operibus universitariae «*Sedis Studiorum Neolatinarum*», quae sedes scientifica paucis annis post cathedrae adiuncta erat. Cum scopus huius «Sedis» praeter alia essent investigationes lexicographicae, Caelestis Eichenseer anno 1980° un~cum aliis inter consultationes Vaticanas ad hoc thema spectantes cum papa Iohanne Paulo II convenire potuit. De qu~



*Caelestis Eichenseer cum papa Iohanne Paulo II.
In medio: Cárolus Egger.
[Photograph facta die 1° m. Dec. a. 1980° factum.]*

occasione feliciter praebit~Sem valde gavisus est.

Cum autem anno 1978° Saraviponti «*SOCIETAS LATINA*» conderetur, ut e~dem praeter alia usus Latinitatis magis divulgaretur, Caelestis Eichenseer, cum iam illo tempore esset «stella» Latinitatis vivae, ab initio eius *praeses* electus est, quo munere usque ad finem vitae functus est.

Cum Caelestis Eichenseer esset fidelissimus filius ecclesiae catholicae atque insimul fervidus amator linguae Latinae, maximopere doluit, quod post Secundum Concilium Vaticanum lingua Latina magis magisque ex liturgia ecclesiastica evanesceret. Tamen non desiit monere, ut lingua Latina variis sub aspectibus in ecclesi~catholic~esset redinterganda.

Post multos autem annos, quibus indesinenter atque indefesse in favorem Latinitatis laborabat, D.ris Caelestis Eichenseer opera laboresque atque eius impetus etiam officialiter atque publice agnoscebantur. Nam locis qu4que superioribus rei publicae paulatim innotuit, quid et qualia

Caelestis Eichenseer pro Latinitate et hunc in modum pro cultura civili Europaeo atque pro Europa coniungendo effecisset. Itaque mense Novembri anni 2001¹ Dr Caelestis Eichenseer honorificatus est *rei publicae foederalis cruce meritoria prima classis*. Quod documentum ipsum ab rei publicae praeside Iohanne Rau subscriptum atque signa officialia huius honoris die 19^o m. Nov. a. 2001^o multis collegis amicisque praesentibus ei sollemniter tradita sunt ab



*Caelestis Eichenseer in sollemnitate crucis meritoriae traditae.
A sinistris: Georgius Schreier, administer rei educativae culturalisque,
a dextris: Prof. Dr Petrus Riemer, Latinista studiorum universitatis Saravicae.
[Photograph facta die 19^o m. Nov. a. 2001^o factum.]*

Georgio Schreier, illius temporis administro publico rei educativae culturalisque Saraviae.³ Non solum ipse de hoc honore gavisus est, sed nos omnes, qui cum ipso coniuncti eramus eiusque merita bene novimus, hoc gaudium ex imis animis participavimus.

³ Cfr. VOX LAT. 146, 2001, p. 557; VOX LAT. 147, 2002, pp. 2 sqq.

Tamen Caelestis Eichenseer etiam alio honore ditatus est, qui ei erat maximi momenti et quo indicibiliter gavisus est. Nam accepit epistulam die 30^o m. Octobris a. 2006^o datam et ab ipso papa Benedicto XVI subscriptam, quae papa ei propter eius opera in emolumentum Latinitatis facta gratulatus est atque specialem benedictionem apostolicam ei attribuit.⁴ Cum autem Caelestis Eichenseer iam de electione Benedicti XVI multis ex causis summopere gavisus esset et cum hunc papam specialiter diligeret, hac agnitione papali plurimum commotus est. Tantummodo valde doluit, quod ei non contigit, ut aliquando a papa recipi posset atque cum eodem, quem valdissime dilexit, colloquia saltem brevia institueret.

Quod autem attinet ad ipsa scripta operaque Latina, quae Caelestis Eichenseer decursu temporis composuit confecitque, multa referenda sunt, cum quasi sint innumera. Quaedam vero generaliter dicenda sunt. Nam Caelesti Eichenseer maximi momenti atque vere cordi erat non solum usus Latinus, sed imprimis, ut in scribendo atque loquendo Latinitas vere bona adhiberetur, quae fundamentum in inquisitionibus scientificis atque in exercitatione perpetu haberet. Haec spectabant imprimis ad bonam loquelam vere Latinam, ad stilisticam comprobata, ad bonum pronuntiatum Latinum, ad neologismos convenienter scientificaeque confingendos. Nam superficialitas his in rebus ei plurimum displicuit. Praeterea ei persuasum erat necessarium esse, ut non solum Latinitas totius antiquitatis (etiam Christianae) respiceretur, sed etiam ut in opera posteriora (id est mediaevalia, humanistica, posthumanistica) incumberetur. Talibus autem in operibus non solum scientia necessaria est, sed etiam maxima perseverantia, quae ipsi revera erat. Quod eidem non erant angustiae mentis, animadvertitur, cum lucubrationes symbolasque ab ipso conscriptas aspiciamus. Nam amplitudo atque varietas argumentorum thematicumque ibidem exhibitorum sunt mirae. Scripsit enim ibidem praeter alia exempli gratia de vero usu Latinitatis, de pronuntiatum Latino, de neologismis convenienter fingendis, de significatibus verborum, de variis scriptoribus postclassicis, mediaevalibus humanisticisque, de quaestionibus theologis, de quibusdam eventis politicis hodiernis, de Latinitate Christiana, de conventibus atque de itineribus propter Latinitatem susceptis. Cum autem ipsi etiam res technicae placuissent atque cordi essent, etiam de talibus thematicis compluribus symbolas exhibuit, velut de nominibus rerum, quae ad technicam instrumentaque spectant, convenienter confingendis, de ferrivia (quam valde amavit), de instrumentis modernis communicationis et de multis thematicis

⁴ Cfr. VOX LAT. 167, 2007, p. 107.

aliis huiusmodi. Sed etiam libros integros composuit atque divulgavit. Primus autem eius liber Latinus, qui anno 1965° editus est, erat «*De Lacu Brigantino congelato*», quo libro ipse etiam pluribus hominibus innotuit. Anno 1982° exhibuit «*Partem lexicalem*» ex serie, quae dicitur «*Latinitas viva*». Anno 1986° in lucem edidit «*Librum cantualem*» ad eandem seriem pertinentem. Annis 1992° et 1997° eius perpulchrae atque instructivae descriptiones divulgatae sunt, quae sunt «*De itinere Palaestinensi sive Israheliano*» et «*De itinere Graeco*». Anno 1999° composuit librum perutilem, cui titulus est «*Collectanea usui linguae Latinae dicata*». Cum autem Caelestis Eichenseer Latinitas viv~voce prolat | esset vere cordi, etiam complures casetas audibiles recipiendas curavit, quarum libellos textuales maxim~ ex parte ipse conscripsit et quarum textã ipse partim viv~voce protulit. Decursã autem annorum Caelestis Eichenseer hunc in modum symbolis, libris libellisque complura milia paginarum Latinarum exhibuit. Usque ad illud tempus, quo gravius aegrotare inciperet, laborare atque in res suas praedilectas incumbere perrexit, et adhuc nonnulla proposita habuit, quae ad effectum adducere voluit.

Scientiam vero suam Latinam Caelestis Eichenseer non solum scriptis suis divulgavit, sed - quantum quoad tempus fieri potuit - libenter etiam acroasibus de thematis suis praedilectis proposuit. Quae orationes variis in locis



*Caelestis Eichenseer inter orationem,
quam in Ottiliensi gymnasio Rhabani Mauri habuit.
[Photograph ‘ma die 16° m. Maii a. 2003° factum.]*

exhibitae ab auscultatoribus auscultatricibusque semper attentissime et gaudenter receptae sunt. Libenter vero talibus occasionibus datis Caelestis

Eichenseer ad quaestiones positas respondit atque disputationes multiplices suscepit.

Die ergo 4^o m. Febr. a. 2008^o haec vita laboribus, sed etiam gaudiis internis spiritalibusque plena, quae plurimi homines variis modis ditati sunt, completa est. Die 9^o m. Febr. a. 2008^o Caelestis Eichenseer in archiabbati Ottiliensi sollemni missae sepulcrali, quam confratribus, familiis atque amicis conunctissimis praesentibus monasterii Pater Prior Claudius Bals celebravit, atque exsequiis sollemnibus sepultus est. Die autem 13^o m. Febr. a. 2008^o sollemnis Latina missa commovens pro ipso in cappella studiorum universitatis Saravicae celebrata est, cui Archiabbas Ottiliensis Ieremias Schröder specialiter advectus et Dr Iohannes Kreier, parochus parochiae universitariae, celebrantes benigne praeerant.

D.rius Caelestis Eichenseer scientia Latina erat maxima atque extraordinaria, quae fundamentum non solum in multiplicibus investigationibus, sed etiam in amore huius linguae habuit, eius religiositas erat profundissima, eius humanitas erat vere ampla, quae etiam hilaritate non caruit. Usque ad finem vitae, etiam cum iam male se haberet atque gravius aegrotaret, Latinitas ei erat cordi et Latine locutus est. Nos, qui sumus derelicti, ineffabiliter tristissimi sumus, sed semper eius erimus memores. Gratissimi autem sumus, quod per tot annos cum ipso esse, cum ipso artium amicitiae coniuncti esse et cum ipso cooperari nobis licuit. Eius hereditatem colemus atque eius opus suscipiemus. Quaeque in futurum quaeque hunc in modum, ut ipse ante oculos habuerat, continuabimus. Semper cum ipso nos coniunctos esse sentiemus.

Requiescat in pace Domini.

Mense Februario anni 2008ⁱ.

D.RIX SIGRIDES ALBERT
 PROF. DR IOHANNES PAVLVS BAUER